

1 (Exemplar epistolae cujusdam Lemovicensis (is est venerabilis Bernardus Bardonus Bruni presbyter) ad Illustrissimum Cardinalem Bellarminum Pro apostolatus Sancti Martialis defensione, contra Criticos Novatores.)

5 Sacri Cineres Beatissimi Aquitanorum Apostoli Martialis (Illustriss. et Rev. Cardinalis) e venerabili in quo jacent sepulchro ad nos qui tanto titulari simul et tutelari decoramur, clamorem his diebus edere visi sunt; ut jamjam officium filiorum rependamus in Patrem, qui coelo nos peperit: officium eo praestabilius, quo excellentior
10 est partus: et causae defensionem suscipiamus pro Patrono illo qui causae defensionem nostrae, primus olim erga omnipotentem suscepit, dum majores nostros e faucibus inferni suo labore ereptos, et a servitute Sathanae solutos in libertatem filiorum Dei vindicavit. ~~NO~~ tempora! ut nobis nunc opus sit pro Patrono patrocinari, et ipsum
15 nostrum protegere Protectorem! quid enim electissimi hujus viri, qui imprimis a pedibus Christi in terra ambulantis extitit et ab ipso in sacrum agmen septuaginta duorum adscitus est, Apostolatus tentatur, imo arguitur; imo in foris romanis impugnatur. Hoccine credere quis valeat? At ergo re ita se habente, nihil nobis prius, nihil charius
20 esse debet, quam omnes vires virtutesque nostras in hanc rem propugnandam contendere: at Deo optimo maximo vota nostra confirmante, nobis potius ipsis deesse videamur, quam ab hujusmodi deficiamus officio.

At certe ut a primo ortu suo liber ille vester de Scriptoribus
25 Ecclesiasticis manus nostras attigit; cogitare coepimus, non abs re esse, ut illustrissimae amplitudini vestrae, quidpiam de juribus nostris per litteras aut nuntium significaremus. Verum quia procul ab animis nostris aberat, ut non modo in se inducerent, sed vel suspicarentur quidem, rem eo usque trahi posse quo compulsa est: scilicet
30 ut de eo lis moveri posset aliqua unquam. Quippe quod omnes omnino auctores caeteri praeter unum illumque Gregorium vestrum, omnes rationes, probationes, monumenta, traditiones, decreta, possessiones, ut alia hujusmodi jura in contrarium pugnent; tota Gallia in hac fide conquiescat: et Aquitaniae ipsius majoris tot ac tantae Ecclesiae
35 provinciae Apostolico cultu approbatissimo sanctum illum Patronum suum tutissime semper concelebrarint, idcirco non necessarium fore, tunc arbitrati sumus, ut ea de re ad illustrissimam dominationem vestram, quidquam daremus litterarum aut rationumstrarum. At postquam audivimus rem eo extremitatis adductam; ut etiam de ea lis Ro-
40 mae excitata fuerit, silere absque culpa gravissima nos non posse rati sumus. Quare ab anno superiore quo res ad nos perlata est, hoc primum habuimus in votis, ut nullam non impenderemus operam ad hoc

munus tanto parenti ~~munus~~ persolvendum. At vero coeptum laborem, tum in evolvendis monumentis nostris; tum in testimoniis, etiam aliunde disquirendis interrumpere, partim Reverendissimi Episcopi nostri; qui et ipse non solum ad illustrissimam Dominationem vestram, sed etiam ad ipsum Sanctissimum Patrem litteras destinarat morbus et obitus, partim civilia regni jurgia, partim longinquitas diversitasque locorum, e quibus hujusmodi testimonia cupiebamur expiscari. Jam igitur protracto longius tempore, quam vota nostra flagitassent superest ut rationes ac jura nostra pandamus.

Verumtamen hoc in praestando munere laborem, sicut currentibus annis susceptum; ita minus onerosum, multiplex praevenit ac premit admiratio. Imprimis enim non possumus non mirari, stupere et expavescere, imo non potuissemus, nisi nos missae ab urbe litterae coegissent, credere, rem clarissimam dubium omne superantem, certissimis documentis, testimoniisque comprobata, miraculis confirmata; jam etiam olim examinata, trutina ponderata, a tribus diversarum Galliae Provinciarum Synodis, Parisiensi, Bituricensi, Lemovicensi agitata simul et determinata; a pluribus Pontificibus actum confirmitibus declarata ac definita; omnibus difficultatibus, etiam iis quae nunc non primo quidem petuntur; sed iterum in idipsum revertendo repetuntur, jam tunc toties petitae simul et exprobratae et rejectae absolutam, aliisque rationibus quas hic nec opus nec locus est enumerare indubitata; ac denique inconcusse semper observata; nunc denuo in controversiam, et in quaestionem verti; ita ut circulus in infinitum fiat; idem semper principium petatur; quod quaesitum fuit quaeratur; quod determinatum est determinandum postuletur: Summorum Pontificum decreta eludantur, et rem firmiter stabilitam, labentium temporum sive oblivio, sive pervicacia, sive injuria, non aggredi modo, sed in cassum evertere nitatur. Unde jam nobis incumbit id oneris (si onus fit quo grave nil minus) ut debeamus probare rem probatissimam; tutissimumque Aquitaniae munimen defendere ad vestrum tribunal ab incursu invadentium Criticorum. Fitque ut in amplissimi subiecti copia sermonum subtrahere ipsa admiratio videatur.

Deinde vero hanc admirationem adauget alia: quod namque tu illustrissime et doctissime Cardinalis, hunc liti fundamentum dederis, vel solus. Antequam enim librum illum de Scriptoribus Ecclesiae emisses in lucem, silebant ista haec omnia, statis rebus Ecclesiae Galliarum, apud quos is sanctus colitur. Sistebant immotae in possessione sua, rata, fixa, justa. Postquam vero liber ille prodiiit; in quo de tempore sancti dubium facere videris; ansam arripuere Critici, non tam forte dubitandi quam novandi. Hinc enim factum est, ut licet ea quae scripsisti ab extraneis extraxeris, non autem ex verioribus atque indigenis monumentis filiorum in Christo tanti Patris

/ mutuatus fueris: tamen ipsi novatores, sive jura nostra nescirent; sive scientes scire nollent; rem qui~~u~~etam moverint, jus certum et incertum vocarint, litem dudum sedatam innovarint, veteres querelas sopitas finitas ac definitas suscitarent.

5 Huic tertia successit admiratio, quod ipsi novatores ac critici (sicut per litteras ad nos missas moniti sumus) non se cum opinione tantum fulciant tua, sed dignitate: quasi dignitas incrementum det veritati, ideoque exaltent cornu. Et quamvis sciant te nihil dixisse novi; cum nihil nisi ab alio dictum ~~et~~ reprobatum dixeris: 10 tamen ex eo solo quod dixeris, sibi putant fieri satis nimisque: adeo ut jam non clamitent, S.Greg.Turon. hoc dixit (nam hoc jam damnatum audiret) sed Illustriss.Bellarmin. hoc dixit. Quamvis Illustriss. Bellarm. ea quae dicit a Greg.Turon. dicat, et a se nihil. Et quamvis sit scriba doctissimus non tamen proferat de thesauris suis, nova sed tantum vetera, eaque sopita et extincta: atque ita 15 Critici Illustriss.Bellarmin. non ad authorem suum referant, sed etiam authore ipso suo priorem facere videantur.

Postrema superat admiratio quae vero qui adversatur, et adversantis origo est: idem est qui statutus est iudex et cognitor. Rem 20 ergo nostram certissimam, stabilissimam, firmissimam esse quid prodest? causa impugnantis arbitrio tradita est. Tu vero Amplissime Cardinalis es ipse ille. Ex quibus omnibus perspicimus: non esse quod quis eat inficias, non mediocrem harum tempestatum procellis adversus Apostolaturn sancti Martialis reviviscere persecutionem: 25 cum haec dudum depressa, caesa, sepulta: iterum velut ab inferis excita sit; et tanta Cardinalatus et iudicis potestate sustentetur. Sed quid mirum? nonnisi adversitatibus floret Ecclesia; depressione sicut uter in aquis, nomen sanctorum attollitur, nec civitas Dei laetificatur nisi fluminis impetu? quod igitur toties mirati 30 sumus desinimus mirari.

Laudamus potius Dominum, qui quo magis, et quo altius permittit, in sanctos suos invehi: eo magis vult videri mirabilis in Sanctis suis; quique eo magis Ecclesiam Galliae, suffragiis Martialis Apostoli semper exaltavit, quo magis sunt exaltati fluctus Apostolatus ejus. Siquidem legantur, notentur et colligantur omnia quae de pluribus, maxime Ecclesiae Gallicanae sanctis antiquissimis scripta sunt: nullius gradus aut status reperietur firmiter roboratus; quippe quo nec magis impetitus; certius definitus; quippe quo nec magis agitatus quam ipse Apostolatus. Cumque ipsa nostra Gallia, 40 plures ex sacra illa Discipulorum cohorte se habere sanctos gloriatur; nullum scimus qui tantis miraculis, tanta veneratione, tam univarse per hujus regni partes titulo colatur Apostolico, ut Sanctus hic qui (cum reverentia caeterorum sanctorum dixerimus, nec enim

id negari existimamus) quasi praelucere videtur. Et cum primus in Galliis, Apostoli nomen sortitus sit, caeteris ejusdem tituli majorem firmitatem contulisse censetur.

Jam vero numquid sufficit veteres praedictorum saeculorum Criticos, in Sancti Martialis Apostolatam, toties et toties machinis eversos esse suis; at denuo oboriantur novi, et hi vestra sublimi dignitate fulti? His itaque sic existentibus, jam silentium abrumperere, nostri nos cogit muneris ratio. Sed ad quem ibimus? ad quem nos conferemus? An verba nostra dabimus ad judicem? At judex a parte adversa stat. Quid ergo? confugiemus ad illum qui adversatur ut causa fulciatur? qui impugnat ut propugnet? Imo vero etiam atque etiam confugiemus. Nam licet tu illustrissime Cardinalis, ipse sis qui nobis reluctantia, in illo libro tuo scripsisse videris: tamen ad te appellamus. Ad nullum alium quam ad te. Te judicem optamus, te quaerimus, te prosequimur. Absit enim ut in mentem nostram veniat supplicem ullum libellum in tanti viri, tam pii, tam aequi recusationem offerre; quin imo ita de tua aequitate confidimus, ut rebus a te perspectis, non ambigamus te, pro partibus nostris (partibus Sancti) judicem fore tui ipsius adversum te.

Cum vero tria proposuerimus, per quae tuo uno nomine suffulti intumescunt Critici: primo quod adverseris, et adversariorum author sit: deinde quod vim etiam adversandi augeat, tum dignitas et celebritas tua; tum Cardinalatus altitudo: postremo quod hoc omnia compleat judicandi potestas. Nullum horum nos terret. Nam quoad primum certo nobis persuasum habemus (aliter enim de tam pio viro sentire nefas esset) te non novandi animo scripsisse; sed ex iis quae tum tibi solum innotescebant, aut prae manibus aderant testimoniis hanc opinionem edidisse. Qua in re qui te sectari se credunt Critici, toto coelo a te discrepant: litteram enim tuam sequuntur, non spiritum. Spiritus tui scopus veritas est, non solum ubi nota est; sed agnoscenda ubi ignota est. Itaque nulla dubitatione interposita credimus, quod in eam in quam prorupisti sententiam, nunquam te duci passus esses; si testimonium hujusce rei exscerpisses non ab alienigenis authoribus atque extraneis Turonensium officinis, sed ab ipsis Apostoli illius in Christo alumni, Discipulis, successoribus Episcopis, atque a promptuariis, archivariis, et monumentis locorum, in quibus sanctus ille a primo Christi saeculo, vita vere apostolica fulsit, miracula multitudine innumera, et magnitudine eximia edidit: populorum numerum absque numero ad Christum convertit vitam longaequam sanctissime in terris exactam, cum vita caelesti modo plane admirabili commutavit. Denique sanctissimum sui corporis depositum nobis in pignus et memoriam asservandum, piisque ac de-

/ bitis honoribus colendum reliquit.

Gallorum decus, Aquitanorum praesidium, Lemovicensium propugnaculum; ad cujus sepulchrum venerandasque reliquias, ipso sancto sub nomine Apostoli ac Discipuli Domini invocato, miracula a prima illa
5 aetate perpetuo edita sunt, et eduntur etiam nunc perpetuo. Cum itaque monumenta nostra non nactus, plenior ex eorum fontibus rei notitiam non hauseris; sed de his quae tibi patebant testimoniis licet non sat fidelibus, non diffisus tamen, rem juxta ipsa asse-
10 rueris: neminem esse dixerimus, qui de animo tuo aequissimo in-
10 juste, nisi ipse injustus, judicare queat. Si enim certiora habu-
isses, certiora eisisses; quare licet a piis et doctis scripto-
ribus, eorum numero, te maxime esse censemus; nonnunquam absit ve-
rum; non ideo tamen abest veritas; ad veritatem enim, ubi patuerit,
amplectendam paratus, et dilatatus est eorum animus. Quapropter
15 absit nos eo temeritatis ferri; ut licet contra illa scripta tua
pugnemus, quidquam cogitemus detrahare te dignitate illius vestri
libri, quem testamur ac protestamur, clarissimum, eruditissimum,
utilissimum. Quin etiam si jam pugnemus: fortius te ipsum imposterum
contra eundem certaturum speramus. Solos accusamus Criticos,
20 qui novandi animo incursant, omniaque tentant, cimantur, scrutan-
tur, non solum in libris tuis, sed in quorumcumque aliis, ut quid
novitatis inducere possint; sed uti speramus ipsi per te ipsum in
quo nituntur ruent, defficientque scrutantes scrutinio cum juri-
bus nostris cognitis accesseris ad cor altum, et exaltabitur Deus
25 in exaltatione sancti sui.

Unde fit ut te apprime obsecratum velimus, quod si vel in his
litteris vel in aliis scriptis, quae postmodum hanc in rem Deo fa-
vente mittemus) quod a nobis de Criticis aut Novatoribus dictum
audieris, ad te nullatenus referas. Licet enim basim in te suam
30 collocare putent: te tamen his nominibus intelligere, procul a
nostris mentibus est; idque nefas esse duceremus, cum intentum
tuum veritas sit: eorum novatio; ut nihil minus de tua probitate,
et sinceritate sentiamus, quam sentit vel universus orbis. Ut qua-
mto magis arguendum hujusmodi Criticorum, et novatorum sensum,
35 omnes una nobiscum existimant, tanto nos una cum omnibus altiori
te dignum laude et honore censeamus. Numquid enim putant Critici
te tibi adductum ultra aras? Et cum aliquid tuleris, resilire te
a teipso nunquam vel posse nec debere? et quid eo usque de te non
penetrant, ut nosse non possint te scire (summa vero scientiarum
40 haec est) ubi par est a teipso desciscere, ut teipsum superes!

Nos certe non latet multos esse, eosque nimios, qui cum aliquid
dixerint, fecerint, scripserint; ita sibi haerent tenaciter ut et-

iamsi postea contraria veritatis radius aliquis ad oculos eorum elucescat videntes videre nolint, neque intelligentes intelligere. At viri pii qui altius in Deum veritatis principium animos exerunt (qualem te nemo nescit norunt omnes) sciunt levare se supra se, et
5 a propriis opinionibus, nonnunquam ubi non vult deflectere; ut se in seipsos reflectentes, ad alias certiores ascendant, quas a se prius alienas, ~~mi~~ maxime faciunt suas. Nam et certe in hac humanarum rerum vicissitudine, multarum plerumque quaestionum (maxime earum quas vocant ficti) solutionem aut notitiam Deus viris etiam
10 doctissimis et sanctissimis abstrusam esse vult, ut deficient oculi eorum in eloquium suum dum enim a nobis deficimus, altius nobis ascendimus.

Atque ita in hoc nostro negotio, defectio a te tua (Cardinalis Illustrissime) eriget te in eloquium Dei, eloquium Christi.
15 Christi dicimus eloquium illud quo ore proprio in terris, beatum Martialem in terris discipulum suum ordinavit, vocavit, elegit. Eam vero vim Deus tribuit iis qui a se deficientes ascendunt in eloquiis ejus veritatem; quod illa quae prius ignorabant, postea clarius et perspicacius videant iis ipsis qui nunquam ignorarunt.
20 Sed vel intellexerunt, vel etiam docuerunt. Idem enim qui dicit defecerunt oculi mei in eloquium tuum, postmodum subjungit; super omnes docentes me intellexi. Unde et nos speramus fore, eodem praestante Deo, ut qui liti fundamentum firmamentum imposterum fias statuendae rei: et denique Apostolatam Sancti Martialis, supra
25 omnes qui nunc, vel intellexerunt, vel docuerunt, et intelligas, et doceas.

Quod ad secundum attinet, tua quidem autoritate, et dignitate se credunt fulciri novatores. At nunquid non advertunt sinceritatem tuam, status tui dignitati non esse imparem? Nunquid etiam
30 non vident ex doctrinae tuae celebritate, ortam auctoritatem tuam te eo non adducere, ut ea ipsa auctoritate utaris adversus integritatem tuam: velisque quid de veritate demere, ut addas auctoritati in gratiam Criticorum? At certe quantum auctoritatem et sublimitatem tuam ipse noris ad omnis veritatis et aequitatis libram
35 (ubi opus est) inflectere, nobis satis innotuit; vel ex eo quod cum humilitas nostra ad celsitudinem tuam vix auderet litteras has dirigere; nobis a viris fide dignissimis relatum sit te esse, longe humilitate altiolem, quam celsitudine ipsa tua. Ad quid vero te volunt critici? Equidem te volunt, te quaerunt, te sectan-
40 tur, non propter se sed propter se. Nimirum ut novitates suas, tuo nomine manifestent, te magnificent. Videas ergo si placet, amplissime Cardinalis; quanti eis sis debitor? supplantabuntur vero sua

ipsorum in te ~~h~~actata imaginatione, cum re cognita ad illam dignitatem et auctoritatem tuam accedet notio veri; ut quibus excellentiis tuis uti se credunt ad apostolatam illum deprimendum; eae nobis accrescant ad exaltandum. ~~Nam~~ enim veritas ab auctoritate; sed
5 auctoritas a veritate est.

Quod ad tertium iudex quidem es; sed ergo in eo statu cum sis, nomen si placet scriptoris exue; ut jam non scriptor dicare sed iudex. Certum vero est pro diversis muniis Deum optimum maximum, diversos infundere in unam personam Spiritus. Suus est Spiritus
10 Domino, suus servo; suum habet Iudex; militans suum; suo dicitur Praelatus aut Superior, suo subditus aut inferior. Et cum eadem persona migrata statu; aut ab officio ad officium migrare non minus videtur a spiritu in spiritum. Quemdam olim a principibus nostris, eumque Ducem Aurelianensem, cum ab aliqua laceratus, injuria,
15 regiam postea coronam fuisset adeptus, cuidam adulanti et suadenti, ut cum jam plenitudinem potestatis nactus esset: vindictam suaderet de injuria sibi illata eo tempore quo Dux erat Aureliano-
rum; sapienter respondisse narrant historiae. Non esse Regis Galliae se gerere a persona Ducis Aureliae. Et recte. Cum enim jam
20 esset Iudex omnium supremus, non sibi licere arbitrabatur stare a parte aliqua. Imo se Regem non minus paratum esse debere (postulante re) sententiam ferre in ducem seipsum, quam in eum qui prius quidem adversarius erat Ducis, jam vero servus esset Regis. Unde
non et nos, hoc tamen exemplo, sed tuae integritatis ratione ducti, dicere verius nos posse arbitramur, teque id annuentem videre vide-
25 mur, non esse Domini Bellarmini iudicantis: partes agere Domini Bellarmini disputantis et controversantis.

Qui disputat opinionem suam constat, ex eo quod sibi videtur melius: qui iudicat, non ex eo utcumque quod sibi videtur; sed ple-
30 rumque quod aliis (iisque certe in hac re nostra fere omnibus) qui disputat sibi se addicit; qui disputat, superat se; qui disputat falli cum possit, non tenetur non falli: qui iudicat ad hoc tenetur quantum in se situm est, ut non fallatur, nec etiam fallat. Denique qui disputat, non ita obligatur exacte, omnia perquirere; qui
35 iudicat omnia tentat, omnia dispungit: omnes partes, non ipse particularis audit, omnia testimonia, omnesque hinc inde e diversis locis instructiones, expromere et excerpere conatur, ut tandem sententiam proferat, non suam, sed investigatae veritatis.

Itaque te o Cardinalis Illustrissime, piissimeque iudex et cog-
40 nitor, licet scribens a parte egeris, nunc iudicem existentem evacuato quod de parte est, aliud speramus acturum, pro eminentia sancti iudicaturum, et eo altius Apostolicam ejus dignitatem pro-

/ vecturum quo abundantiori laude ea quae testimoniis illius tui de-
fuere authores instaurare queas. Sed quid ultra de te iudice dub-
itemus? Rem jam iudicasti ipsammet pro nobis. Tulisti iudicium, e-
quidem pro Sancto Dyonisio dedisti sententiam. Sat est; fieri enim
5 nequit, ut qui pro Sancto Dyonisio iudicat, pro sancto Martiali
non stet, in eodem iudicio; sicut nec quis contra unum ferre senten-
tiam posset; quin ferret contra alterum. Ita enim, ut tuo authore
utamur Sancto Gregorio Turonensi, connixi et colligati sunt invi-
cem apud illum; isti duo sancti, ut pari passu ambulant. Ergo si
10 Gregorium probas in uno, in alio probes necesse est; si in uno im-
probas, improbes in alio. At enim voluerit Illustriss. Dominatio
in sanctum Martialem invehi gratis? Quid tibi in sanctum Martialem?
ergo cum pro sancto Dyonisio propugnando Sanctum Gregorium Turo-
nensem spernas, ipsumne volueris assumere in sancto Martiali impu-
15 gnando? Etenim quidem S. Gregorius, eodem in loco, eadem dictione,
eadem periodo, eadem clausula, hos sanctos ita jungit; ut uno eod-
demque tempore, eadem via, eadem missione, sub eodem imperatore eos
in Galliam venisse dixerit. Aut igitur erravit, aut non? Si non
erravit, S. Dyonisius a primo Christi saeculo rejiciendus erit, in
20 quod ipsum admittis! si erravit; nullam vim facere ex eo potes!
Quominus S. Martialis, in illud aevum admittatur; a quo ipsum ni-
tuntur depellere. Quibus omnibus positis impulsus sumus has jam ad
amplissimam dignitatem tuam litteras praemittere, copiosiora paulo
post tempore Deo auxiliante missuri; quibus tamen in evertendo,
25 authoris illius tui, nempe S. Gregorii Turon. fundamento paulo am-
plius immorabimur.

Cum enim in possessione simus, valet possessio donec contrarium
probetur; probare enim nostrum non est, sed invadentium; itaque si
eorum probatio inanis ac inutilis est, maneat possessio est neces-
30 se; inanis vero sit necesse est; cum ipsemet ut diximus, in eadem
a te praejudicata eam reprobaris. Aliae vero rationes quas Illus-
trissima Dominatio vestra, in illo libro de Scriptoribus Ecclesias-
ticis, adducit; potius ad Epistolas Sancti Martialis spectant, quam
ad ejus Apostolatam aut aetatem quibus tamen etiam responsa dabi-
35 mus; et sancti Martialis esse epistolas has, nos una cum tota an-
tiquitate certo tenemus. Sed et illationi desumptae ex aliquibus
verbis Sulpitii respondebimus. Atque ut in gratiam Criticorum quid
addamus? nonnullas enim alias objectiones quae afferri possent
proponemus, simulque refellemus. Praeterea vero in favorem adhuc
40 ipsorum (licet ad id non teneamur, ipsis enim ut diximus responde-
re sat est) ex iuribus ac nostris monumentis non pauca producemus
in medium, quod si insuper atque ulterius testimonia ex aliis et-

/ iam provinciis velint, dabimus; eaque si opus est, prope innumera; quid desiderant amplius?

Etenim Sanctus Martialis, non solum in his Lemovicensium regionibus verum etiam in compluribus aliis, per majorem Aquitaniam
5 (quae Galliarum non minima pars est) longe lateque dispersis Provinciis, prim~~ax~~ Evangelici eloqui semina mandavit; apud quos etiam ut Apostolus colitur; unde ab eisdem quoque Provinciis omnibus et testimonia authentica peti possunt; non pauca a Bituricensi, Pictaviensi, Xantonensi, Burdigalensi, Cadurcensi, Tolosana, Ruthenensi, Val~~ecensi~~
10 lecensi, Aniciensi, Arvernensi, aliisque pluribus; in quibus sanctum illum, ~~xxxx~~ sicut praedicationibus, ita virtutibus miraculisque summis effulsisse notum est. Sed ea etiam possunt promi ab ipsa Parisiensi, aliisque multis extra Aquitaniam positis Ecclesiis; in quibus S. Martialis primus Galliarum praesul et Apostolus dicitur.
15 Et apud quas etiam sunt aedes Sacrae, ejus sub nomine dicatae. In istis vero enumeratis, aliisque pluribus Aquitaniae locis, erectae nunc sunt sedes Episcopales multae, et in quibusdam Archiepiscopalis, ut in Bituricensi, Burdegalensi et Tolosana, quae omnes sedes et ecclesiae, S. Martialem suum Apostolum esse, primumque in
20 Christo parentem et Praesulem, uno ore conclamant, p~~ro~~fitentur, protestantur.

Et quamvis earum multae sanctis antiquissimis celeberrimisque illustrentur, ut Pictaviensis Hilario, tamen de uno sancto Martiale, progenitore in divinis suo, Patrono suo, Apostolo suo, maxime
25 gloriantur. Nos vero ad quasdam illarum misimus, et quod novum gerebatur significavimus, quae auditis Criticorum aemulationibus, pari animorum affectu, nobiscum simul et attonitae sunt et dolore percussae. In quibus et ipsa Pictaviensis Ecclesia nobis per litteras piissimi zeli sui, fervoris et devotionis, erga suum, sicut et
30 nostrum Apostolum dedit testimonium. Sed et a Carducensi praeclarum expectamus testimonium; vel ex eo solo quod superioribus annis ab ipso coelo eis illatum est. Adeo ut circa idem tempus quo lis commoveri coepit in Italia: Deus (res mira) testimonium pro sancto suo dederit in Aquitania: ut rei veritas jam totius nota iterum
35 contententibus animis magis magisque innotescat. Quod vel sola denique et aliae Ecclesiae ad danda testimonia praesto sunt maxime, omnes sollicitae ut hoc munus summis votis prosequantur; rem sancti tueantur, Criticos ab invasionibus arceant; et te aequissimo iudice injuriam propulsent illatam sancto.

40 Verum inter ^{ae} ~~hoc~~ omnia unum est quod nos premit maxime, de quo his in litteris Illustrissimam Dominationem vestram, cum optima ipsius venia praemonitam voluerimus; immo ut praemoneamus ipsa

piget

1 nos urget conscientia: Dicere quidem id pudet, sed expedit, ac si
subticeremus, timor incumberet super nos, ne ad summum ipsius ju-
diciū vindicem damnosae taciturnitatis iram ejusdem in nos laces-
seremus. Quid vero hoc est? damnum scilicet ac detrimentum quod ex
5 hujusmodi quaestione et contentione imminet maximum: si quidem ani-
mis mentibusque commoveri jam coeperunt Aquitaniae partes multae;
eae scilicet ad quas istarum novationum rumor pervenit. At huic
civitati potissimum damnum impendit, id est tale, ut hactenus non
ausi fuerimus istius quaestionis renascentis novitatem dissemina-
10 re in vulgus, et omnibus notam facere, timentes ac persentientes
futurum; ut ex auditu vel solius dubitationis, de Apostolatu Sancti
Martialis nasceretur tumultus aliquis, qui mala denique non pauca
parturiret et pareret; fieretque forte ut discrimen verteretur in
crimen. Non tamen rem silentio premere potuimus, quin susurrus a-
15 liquis ad aures piorum quorundam Catholicorum tanto afflatu sese
dimiserit; qui illico exturbati; et tum animo deficientes; tum in-
de excitati ac furore perciti dixerunt, Si fides Apostolatus S.
Martialis avellatur, tam rata firma, firmataque a priscis saeculis;
si deinceps quibus rebus credere debeant ignorare; darique impul-
20 sum, ut hac fide violata, ab aliis retinendis deficiant.

Videat si placet Dominatio vestra Illustrissima, quid portendat
ista controversia? neque abs re: quia scilicet populus hic, tanta
a sancto Martiale sub nomine Apostoli et Discipuli Domini invoca-
to, non sine insignibus miraculis, ab omni memoria accepit, et sin-
25 gulis diebus accipit beneficia; tum in universam Aquitaniam colla-
ta: tum singulariter in hanc urbem (cujus maximis in periculis ma-
gnificentissimum protectorem se semper ostendit) tum singularius
in singulos ejusdem urbis incolas, ut nunc zelum Apostolicum quo
populus iste erga sanctum suum impensissime ducitur, a mentibus
30 abradere velle, nihil aliud esse videatur, quam omnino evertere,
devotos animos destruere, pietatem extinguere, et erga aliarum re-
rum sacrarum venerationem inducere tepiditatem, aut incuriam (dixe-
rimus forte) et contemptum. Beneficia vero a sancto hoc accepta,
plebis ac populi sunt vulgares libri.

35 Nos quidem in monumentis ac documentis antiquis rei hujus veri-
tatem legimus; vulgus autem et populus in beneficiis collatis tan-
quam in certissimis paginis rem legit et colligit. Unde et populus
iste noster, tanto zelo, tam pio amore tam singulari devotione vo-
tis, ac sinceris animi motibus, omni excluso superstitioso affectu,
40 erga Sanctum hunc Apostolum fertur, ut vix exprimi possit effatu,
iis qui non didicerint visu. Nam et vix reperitur ullus Patronus

/alicujus loci, ac dixerimus in Galliis, sed vel in tota Ecclesia
(exceptis primariis illis duodecim aliisque paucis praecellentibus)
qui vel majori, vel tanto fervore, honore, splendore a suis celebre-
tur, sicut notum est sanctum hunc a nostris coli, cultumque fuis-
5 se semper. Hoc enim et insuper adjiciemus (cum vestrae amplitudi-
nis patientia) quod testari et protestari vere possumus, negarique
non potest, et omnes perspiciunt; ipsos etiam extraneos, qui hanc
urbem non raro adeunt, eosque non modo saeculares bene meritos,
sed etiam religiosissimos cujuscumque ordinis viros, hunc pupuli
10 zelum ac devotionem contuentes, omnes admirationi duci protinus-
que addere simile quidquam se non vidisse; et vix prae gaudio et
solamine spiritali lachrymas cohibere posse. Haec vero frustra nos
afferre non existimet si placet, Illustrissima Amplitudo Vestra;
sed ut ipse dignoscat, ex eo quod tantus in sanctum suum amor in-
15 haereat in praecordiis hujusce populi, quantum minetur ruinarum in
hujusmodi animis detractio honoris et cultus ejusdem sancti!

Quid faciunt Critici? quid volunt? nunquid propter exquisitas
adinventiunculas suas, aut propter libitum suum, aut affectatae no-
vitatis ostentationem; aut quaerelas forte aliunde natas: aut ali-
20 quam rationem absque ratione, non curant animos frangere, et omnia
disrumpi atque disperdi? Aut nunquid haec ipsis momenti videntur
esse parvi: ut plus novitates suas adamant quam oderint detrimen-
tum animarum? Audiant vero et alia, si tamen capere velint. Tu
vero aequissime Judex, si placet, capies. De piis quidem nostris
25 Catholicis illa parcius diximus: et de Catholicis et nostris et
simul exteris ut notis quid damni impendeat, pauca etiam subjiciemus

Nimirum quod ex ista contentione, haud dubie futurum sit, ut in
Ecclesia praesertim Gallicana, apud viros etiam piissimos, eruan-
tur, eradicentur, et pereant omnes omnium Traditiones mox circa
30 cultum et venerationem Sanctorum. Quid enim? Si Traditiones de S.
Martiale, inter omnes alias nostras firmissimae deprimantur, conve-
nienti in eruditissimorum virorum, mox Gallorum sententia? Quomodo
sustentabuntur et caeterae permultae, quae in Galliis sunt recep-
tae; et in his nostris velut exemplar et fundamentum habent? Cer-
35 tissime necessarium erit, ut fere omnes majores Ecclesiae Gallica-
nae, ritus, ceremoniae, traditiones, historiae, testimonia, monumenta,
ac documenta pessum ruant? ac deinceps omnia vertuntur in dubium:
nihilque stabile sit in Ecclesia, nihil securum. Sed de pis qui-
buscumque Catholicis sermonem ulterius non protrahamus; ut falsos
40 fratres, paululum pios catholicos pertranseamus, qui volutantur
in Gallia, et in eos etiam paucis animadvertamus. Certe ex istis
quaestionibus, non potest nasci, nisi hujusmodi virorum, adversus

/ quosvis orthodoxos garrulitas, irrisio, oblectatio. Rident enim et exultant, cum vident inter catholicos oriri jurgia, eosque invicem discrepare et digladiari: et praesertim cum res ab omni aevo tradita, probata, credita, ab ipsismet impugnatur. Hoc volunt, hoc op-
5 tant, in hoc garriunt. In hac enim aetate versamur quae hujusmodi progeniem, novitatis curiosiorem, et studiosiorem tulit !
Ecquis jam (inquiunt) est ille Martialis, quem ad haec usque tempora Aquitani et praesertim Lemovicenses ut Apostolum coluere? En Illustrissimus Bellarminus (S. Gregorium Turonensem tacebunt, ex-
10 plosum enim esse sciunt) qui hunc discipulum improbat? Quid ultra? nunquid ergo, et aliae aliorum sanctorum frustra coluntur reliquiae? hoc equidem dicent, et pejora obloquentur, omnemque si possint sanctorum venerationem eradere conabuntur. Sicque eorum inrisioni omnis devotorum catholicorum patebit pietas. Nec vero existimamus
15 ignorare Illustrissimam Dominationem vestram, qualia sint tempora, in Galliis maxime. Etenim apud nos, ita deplorandi ac calamitosi sunt dies, miserarumque tempestatum aerumnae, ut undique circumstent et circumeant innumeri qui cum Catholicorum nomine se insigniant, nec Calvinismum aut aliam haeresim se dicant sapere: fau-
20 tores tamen sunt haereticorum, politici, falsi fratres, ad libitum de rebus sacris et Ecclesiasticis, aut ex divinis sentientes prope ad atheismum accedentes, qui vaticinio Apostolico, quaecumque ignorant blasphemant; quae autem naturaliter tanquam bruta animalia norunt in his corrumpuntur. Ac denique qui haereticis ipsis famu-
25 lantes, aut eis pejores, nihil aliud quaerunt, nihil appetunt, quam omnia diruere ac perturbare; optimarum animarum pietati illudere, et prima haereseon semina in mentes fidelium jactitare. Quid ergo hi ex istis concertationibus inferent? nonne erumpent? nonne exurgent in nos velocius? arma siquidem eis suppeditabuntur; et a qui-
30 bus? ab ipsismet!

Sed dilabimur ad haereticos, quibus heu! circumdamur et circumvolvimur omni ex parte quid dicent ipsi? verum quid ipsis dicemus aut quid respondebimus? Cum objicient argumento velut ad hominem; vester Bellarminus haec ait, traditiones tollit, has reprimit et
35 rejicit? Quid, inquiunt, arguimur, si quod ipsi vestri faciunt hoc faciamus? Cur caeteris caeterarum rerum assentiamur Traditionibus, si tam prae caeteris veterem, et tam per Gallias in jactatam de S. Martiale traditionem non nos sed vestri improbant? Sicque ita debacchantur in nos, non suis tantum machinis, sed tua ipsa, male ta-
40 men ab eis intellecta autoritate fulti, et a Criticorum et novatorum praedictorum in nos persecutionibus potissimum concitati.

Et quamvis ita dicturis, quid respondeamus nobis plus quam su-

/ persit; tamen in aures obturatas, oculosque clausos, non est quod
quid immittatur veri; cum nihil nisi appetitu suo congruens vel
audire, vel videre cupiant: et coelum ipsum se digito tangere cre-
dunt, cum quid quod existimant in rem suam facere, ab aliquo autho-
5 re, vel furtim abripere, carpere, extorquere aut quoquomodo eruere
videntur, ut ex ^{se} te. Nec vero hic finis damnorum ex ista quaestio-
ne oriendorum. Certe enim ut audient haeretici (nec enim adhuc au-
dierunt; idque maxime cadendum duximus) has niter nos rixas et
contentiones, praesertim de Sancti Martialis Apostolatu excitatas
10 esse: futurum est, ut asserant immo vero credant, et in suis pesti-
lenticiae cathedris eructent et proclamant; fabulosos esse homines
quos/illos ~~pro~~vocamus sanctos. Dicent enim irrisorie (si quidem
mores ac morem illorum hominum novimus) se velle litem nostram
componere, idque hoc pacto, quo scilicet cum alii nostrum profe-
15 rant sanctum Martialem extitisse illo tempore, alii isto: asse-
rendum sit extitisse nullo. Atque ita illudent, ridebunt irride-
bunt, exultabunt, cachinnos movebunt; et quo magis nos hactenus
veriti sunt, eo nos contemnent magis; quasi majore certitudine in
sua haeresi confirmati: aut ut melius loquamur, tenacitate obfir-
20 mati; ex eo quod non viderint, sic inter nos discrepantes, et
quod majus est, litigantes.

E heus! itane hanc in rem hactenus, immotis motum praebebimus
haereticis; ut in nos ita erumpant, et nos per nos ipsos vincant?
Nullusne nos percellit dolor de litibus nostris? Equidem licet
25 certo certius teneamus, et nullatenus ambigere possimus, fore ut si
hanc litem ultra prosequi oporteat, iudicium pro Apostolatu Sanc-
ti Martialis confirmando toties: tamen nemo est nostrorum, qui vi-
sis his temporum calamitatibus, aut calamitatum temporibus, satius
forte esse non existiment, eo non expectato iudicio, litem hanc
30 ulterius non protendi, controversiasque istas ac munera supprimi:
tum ad vitanda tanta pericula: tum ex eo quod rem toties iudica-
tam esse, satis superque sit Criticis quidem ac novatoribus qui in
Italia versantur, omnia in pace sint! dies fausti, tempora tranqui-
lla, prospera cuncta! bene est faxitque Deus, ut centuplo magis,
35 ducant in bonis dies suos!

At nostra non praelibantes mala, ut quid nos conturbant? ut
quid rem toties determinatam, declaratam, definitam, proclamatam, mi-
llies pro animi libito inquirunt? Quid vero inter omnia mirum vi-
detur, maxime hoc est: quod ipsi etiam haeretici, ad haec usque
40 tempora istis de rebus conticuerint, atque etiamnum conticeant,
conquiescant, nihil moveant: immo et Traditionis de saeculo Sancti
Martialis, ipso eodem Christi saeculo (quod audierimus) renuere non

/ videantur; quippe quod a aetavis suis, iis quidem Catholicis; haeresis enim recentius nata est; per successus id acceperint: insuperque admirari potius videantur praeclarissimum illud depositum Sancti Martialis quod apud nos religiosissime, atque, ut possumus, 5 honorificentissime asservatur. Unde nec nobis notum est (licet permixtos eos nobiscum pati oporteat) quod quidquam hactenus, in tantum sanctum evomere ausi sint veneni, injuriarum aut opprobriorum; superati scilicet a tanta ipsius sancti abbritate, certissimaque pro Aquitanis et maxime Lemovicensibus tutela.

10 Igitur haeretici silent, nos vero, nos catholici qui simul dulces Christi capimus panes (quorum figuram sancti Martialis in turba illa quinque millium tulit) et in domo Dei ambulare debemus cum consensu; haec certamina inter nos commovemus? ut quid dormitantes haereticos excitamus? ut quid crabrones irritamus? audebimusque dicere aut erit hoc tutum proferre, ut plus divexationis acceperimus nos Aquitani Catholici, a Catholicis quam ab haereticis? ergo ne fundamentum ponent Catholici novatores, ut hoc aedificent haeretici? Nam si quaererentur haeretici, politicive: si necessitas Ecclesiae id posceret: si quaestio esset de fide, ut necessario 15 decidenda esset: sique alia, valida satis ratio exigeret, non forte videretur esse tantus repressioni aut reprehensioni Criticorum locus! Sed nihil horum est, imo proximum periculum patet e limine. Periculum ab haereticis; periculum a politicis; periculum a catholicis in Catholicorum, animarumque piarum detrimentum non parvum. 20 Quid ergo abs re, abs necessitate, pro animi libito, nulla ratione hanc quaestionem movemus, ut simul Aquitaniam totam conturbemus? Amabimusne periculum ut pereamus in illo? Quid confert haec cogitare? Quid proficit? quis fructus? fructus si quis est damnum est. Damnum ergo vitare possumus et quaeremus. Stat fundamentum ab antiquis, imo ab ipso S. Martiale constitutum; ut quid 25 movemus ex eo lapidem, ut majora et altiora corruant, et Ecclesiae permoveantur, animaeque periclitantur?

Satis turbata est Gallia; plus satis ac nimium; nec opus est tribulationibus tribulationes attexere. Unde et bonorum quorumcumque et optimatum ex nostris, sicut et gravissimorum, atque omnium 30 eruditissimorum quos jucunde hac de re, consilii gratia petimus, hominum utriusque status tam laici quam Ecclesiastici, inter quos etiam doctissimos et piissimos vestrae celeberrimae religionis partes adiimus, unum et constans effatum est, non esse horum temporum ac procellarum, ut apud viros Catholicos, hujusmodi debeant 35 agitare quaestiones: sed rei uti est standum esse, nihilque removendum ab eo quod a tot saeculis firmatum fuit. Denique ex hac

1 controversia, oriri posse nihil, nisi gravissimum damnum Ecclesiae Aquitanicae, et maxime Lemovicensium tribulationem, piorum desolationem, populi clamorem, animorum defectionem aut defectionem, divini cultus diminutionem, totius Galliae scandalum; politicorum
5 falsorumque fratrum gaudium, risum haereticorum ac derisum; qui cum sciant quanto praesidio, Sanctus in Tutelaris nos nostramque urbem toties protexerit; nihil gratius sibi aut jucundius ferri posse existimarent: quam si videant ejusdem sancti cultum honoremque, idque per nos divelli ac deprimi. Haecce Criticorum charitas,
10 tas, ut tribuant illud haereticis? Quomodo susciperent infirmos, juxta praeceptum D. Pauli in fide, non in disceptationibus cogitationum, cum firmissimos, et ab omni saeculo tutos velint eruere? Nunquid non norunt, eundem sanctum Ecclesiae Doctorem in eos irrumperere saevius, qui pro opinione quadam sua, aut scientia sibi praesumpta
15 piorum infirmos animos perturbant? Utamur ergo verbis illius Apostoli, et mutato nomine dirigamus ea ad adversantem quemlibet Criticum, pro sua non scientia sed opinione novella.

Si propter opinionem tuam frater tuus contristatur; jam non secundum charitatem ambulas. Noli opinione tua illum perdere, pro
20 quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Quod si ibi loquebatur pro infirmis; quid dixisset pro firmissimis, et omni ratione ab aevo tutissimis? Quos non infirmi et munimine destituti, in hoc declinante saeculo conantur repellere. Quocirca et defunctus Reverendiss. Episcopus noster; cum ad Summum
25 Pontificem scribere his de rebus decrevisset; hunc praecipuum scopum habebat, ut supplicaret suae Sanctitati, ne pateretur hanc quaestionem in foris moveri et agitari. Tum quia jam a multis aevi observatio praevalet: tum quia res a Patribus, et agitata et definita fuit, et a Summis Pontificibus confirmata. Tum quia rem
30 hanc movere, Ecclesiam Aquitanicam omnino perturbare est: et multa exinde damna, pericula et detrimenta suscitare. Adeo ut quamvis extra dubium habeamus, si litis expectetur curriculum, quin pro S. Martiale Apostolo judicium detur, tamen in commune bonum, magis omnino expedire cernamus, hujusmodi litem praescindi, litigantibus
35 perpetuum silentium indici; ac ne quid innovetur prohiberi; non solum quod inane videatur in re jam decisa decisionem quaerere; sed quod hoc nova agitatio, plus allatura sit mali in concertando, quam boni in confirmando postea, eo quod pridem firmatum est.

Sed de his de rebus omnibus in neminem alium, se conjicit magis
40 spes nostra, quam in te Cardinali amplissime; cujus pietas nemini non nota, doctrina hujus novae deliquium deprimet, aut apicem obtundet; et omnia in suo aequilibrio jam olim ponderata relinquet:

/ laudabitque id multo magis et a fortiori, cum in rem similem pro
S.Dyonisio, prorsusque non aliam, jam ut praediximus judicium tu-
um tuleris: at in his omnibus denique Dei optimi maximi providen-
tiam ducem invocamus, per suffragia sancti hujus Discipuli sui,
5 per quae sicut nunquam passa est, eum a gradu discipulatus aut Apo-
stolatus sui, in Ecclesiae ritibus dimoveri: ita nec nunc (uti te
certe confidimus) id te iudice patietur. Praesertim vero jam cum
ad tam venerandam senectam perveneris, paratusque prope sis in-
gredi viam universae terrae, quo cum Apostolorum Domino videas
10 Sanctum ipsum Martialem Apostolica praefulgentem corona; relictā
ad hoc usque tempus in terris doctrinae et virtutis tuae fama ce-
leberrima; ratum ducimus omnes, Deum illum praepotentem, qui tot
te beneficiis ditavit, gressusque tuos tam praeclare direxit; nunc
in ultimis his diebus tuis, influxus in te suos a te non retrac-
15 turum; nec permissum esse, ut post exitum tuum id de te feratur,
quod Aquitaniam perturbasse dicaris. Quin imo ea nos tenet optima
fiducia, ut nullum alium assumpturus sit Deus majorem fautorem,
haec laus in terris consequetur, ut voceris protector, pacis nos-
trae conservator, et adversantium vindex. Nos autem dona ampliora
20 mittemus Illustrissimae Amplitudini tuae, devotissimi, addictis-
simi, devinctissimi ad omnipotentem preces, ex intimis animis fun-
demus. ut quamdiu in hoc mortali corpore, Ecclesiae suae necessa-
rium te volet spiritus suo ut consuevit, actus tuos comitetur et
foveat. Ac postea cum hoc tabernaculum deposueris, te in illam
25 gloriam perducatur, in qua cum Christo Domino, sanctum ejus Disci-
pulum Martialem intuens, rem in terris decisam foelici visu com-
probaris.

Histoire de S. Martial..... par Bonaventure de St. Amable Carm.
déch.d(Aquitaine., tom.I, Clermont, 1676 , c.VII p.18-24.